

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. XXX. Quibus Modis Tollitur Obligatio.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

piendo, illi soli acquirit: veluti, cum ita stipulatur: *Titio domino meo dare spondes?* Sed si domini unius ^{* v. l. ult.} jussu servus fuerit stipulatus, licet antea dubitabatur, tamen post Nostram Decisionem res expedita ^{C. per quas} est, ut illi tantum acquirat, qui hoc ei facere jussit, ^{pers. cui-} ^{que acquir.} ut supra dictum est.

I.

Obligatio acquiritur vel per nosmetipsos vel per alios, eosque vel homines liberos vel servos. *Per homines liberos* (1) *filios familias*, qui cum aliunde acquirunt obligationem, eadem cedit regulariter *patri ususfructus*, filiofam. proprietatis *jure PR. f. h.* (2) *bona fide possessos* si *Pr. I. h.* quid ex re nostra operisve suis acquirunt. *§. I. f. h.* *§. I. I. h.*

II. Acquirimus *per servos alienos*, quatenus eos bona fide possidemus. *d. §.* aut in iis ususfructum habemus ex re nostra operisve servorum. *§. II. f. h. per servos proprios* in solidum, *§. 2. I. h. PR. f. h.* & cum sunt plures Domini pro dominica parte. *§. III. f. h. §. 3. f. d. stip. serv. Hodie id §. 3. I. h.* non nisi ad mancipia Turcica applicari potest.

TIT. XXX.

Quibus Modis Tollitur Obligatio.

De solutione.

Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur; vel si quis, consentiente creditore, aliud pro alio solverit. Nec interest, quis solvat; utrum ipse, qui debet, an alius pro eo: liberatur enim & alio solvente: sive sciente, sive ignorante debitore, vel invito eo solutio fiat. Item, si reus solverit, etiam ii, qui pro eo intervenerunt, liberantur. Idem ex contrario contingit, si fidejussor

jussor solverit: non enim ipse solus liberatur, sed etiam reus.

De acceptilatione.

1. Item per acceptilationem tollitur obligatio. Est autem acceptilatio imaginaria solutio. Quod enim ex verborum obligatione Titio debetur, id si velit Titius remittere, poterit sic fieri, ut patiatur hæc verba debitorem dicere: *Quod ego tibi promisi, habesne acceptum?* & Titius respondeat: *Habeo.* Sed & Græce potest acceptilatio fieri: dummodo sic fiat, ut Latinis verbis solet exigi: *ἔχεις λαβάν δανάρια τόσα? ἔχω λαβάν.* Quo genere (ut diximus) tantum eæ solvuntur obligationes, quæ ex verbis consistunt, non etiam cæteræ. Consentaneum enim visum est, verbis factam obligationem, aliis posse verbis dissolvi. Sed & id, quod alia ex causa debetur, potest in stipulationem deduci, & per acceptilationem dissolvi. Sicut autem, quod debetur, pro parte recte solvitur: ita in partem debiti acceptilatio fieri potest.

De Aquiliana stipulatione, & acceptilatione.

Ex Florent. l. 18. ff. de acceptil.

2. Est autem prodita stipulatio, quæ vulgo Aquiliana appellatur, per quam contingit, ut omnium rerum obligatio in stipulatum deducatur, & ea per acceptilationem tollatur. Stipulatio enim Aquiliana novat omnes obligationes, & a Gallo Aquilio ita composita est: *Quicquid te mihi ex quacunque causa dare facere oportet oportebit, præsens, in diemve, aut sub conditione; quarumque rerum mihi tecum actio est, quæque adversus te petitio, vel adversus te persecutio est eritve: quodve tu meum habes, tenes, possides, dolove malo fecisti, quo minus possideas: quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est Aulus Agerius, spondit Numerius Nigidius. Quod Numerius Nigidius Aulo Agerio spondit, id haberetne a se acceptum, Numerius Nigidius Aulum Agerium rogavit.*

gavit. Aulus Agerius Numerio Nigidio respondit: habeo: acceptumque tuli.

De novatione.

3. Præterea novatione tollitur obligatio: veluti, si id, quod tibi Seius debebat, a Titio dari stipulatus sis. Nam interventu novæ personæ, nova nascitur obligatio, & prima tollitur, translata in posteriorem: adeo, ut interdum, licet posterior stipulatio inutilis sit, tamen prima novationis jure tollatur: veluti, si id, quod tu Titio debes, a pupillo sine tutoris auctoritate stipulatus fuerit, quo casu res amittitur: nam & prior debitor liberatur, & posterior obligatio nulla est. Non idem juris est, si a servo quis fuerit stipulatus: nam tunc prior perinde obligatus manet, ac si postea nullus stipulatus fuisset. Sed si eadem persona sit, a qua postea stipuleris: ita demum novatio fit, si quid in posteriore stipulatione novi sit: forte si conditio, aut dies, aut fidejussor adjiciatur, aut detrahatur. Quod autem diximus, si conditio adjiciatur, novationem fieri, sic intelligi oportet, ut ita dicamus factam novationem, si conditio extiterit: alioqui, si defecerit, durat prior obligatio. Sed cum hoc quidem inter veteres constabat, tunc fieri novationem, cum novandi animo in secundam obligationem itum fuerat: per hoc autem dubium erat, quando novandi animo videretur hoc fieri, & quasdam de hoc præsumptiones alii in aliis casibus introducebant: ideo Nostra processit Constitutio, quæ apertissime definivit, tunc solum novationem fieri, ^{v. l. ult.} _{C. eod.} quoties hoc ipsum inter contrahentes expressum fuerit, quod propter novationem prioris obligationis convenerunt: alioquin & manere pristinam obligationem & secundam ei accedere, ut maneat ex utraque causa obligatio, secundum Nostræ Constitutionis definitionem, quam licet ex ipsius lectione apertius cognoscere.

De



De contrario consensu.

4. Hoc amplius, eæ obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur. Nam, si Titius & Sejus inter se consenserint, ut fundum Tusculanum emptum Sejus haberet centum aureis: deinde, re nondum secuta, id est, neque pretio soluto, neque fundo tradito, placuerit inter eos, ut discederetur ab ea emptione & venditione: invicem liberantur. Idem est in conductione & locatione, & in omnibus contractibus, qui ex consensu descendunt, sicut jam dictum est.

I.

Obligatio tollitur ipso jure (1) Solutione, (2) acceptilatione (3) novatione (4) mutuo dissensu.

Pr. I. h.

II. *Solutio est rei debitæ naturalis præstatio* animo tollendi obligationem facta *PR. J. b. l. 49. ff. d. solut.* & requirit ut (1) solvat is, qui liberam bonorum suorum administrationem habet. *a. l. 14. ff. d. solut. §. 2. J. quibus al. lic. vel non.* (2) solutionem accipiat Creditor, qui liberandi facultate gaudet. *d. §. 2.* (3) ipsa res debita tota solvatur. *l. 41. §. 1. ff. d. usur.* aliud pro alio consentienti saltem creditori solvi potest. *PR. J. b. l. 2. §. 1. ff. d. R. C. (a)* (4) solutio fiat in eadem bonitate, quæ fuit tempore contractus. *l. 3. ff. d. R. C. P. 2. C. El. 28.* (5) solvatur debito loco & tempore. *l. 39. ff. d. solut.*

III. *Solutio liberat* (1) *sive ipse* qui debet, *sive Alius* solvat, pro debitore ignorante sciente, aut invito. *PR. J. b. l. 23. ff. d. sol. l. 39.*

(a) *Aliud pro alio invito creditori solvi non potest. l. 2. §. 1. ff. d. R. cred.*

ff. d.

ff. d. neg. gest. (b) (2) ita ut debitoris solutio etiam illi, qui pro eo intervenit e. g. fidejussori *PR. J. h.* & ex contrario fidejussoris solutio Debitori principali ad liberationem profit. *d. PR.* Creditor enim suum consecutus est. *l. 57. ff. d. R. J.*

IV. *Acceptilatio* est actus legitimus *l. 77. ff. d. R. J.* quo *creditor interroganti Debitori* verbis congrue *respondet se obligationem remittere.* *§. I. J. h. (c) l. 1. ff. d. acceptil.* Eaque vel fit per *Stipulationem simplicem* vel *Aquilianam*. Per *stipulationem simplicem verbis* constituta obligatio remittitur. *§. I. J. h.* *Nihil autem interest* §. 1. I. h., utrum *acceptilatio* fiat (1) *Verbis Latinis*, an *Græcis*, (2) in toto debito an parte debiti *d. §. I.* *Hodie* etiam pacto dissolvitur obligatio ipso jure. Per *stipulationem Aquilianam* *quaelibet obligatio* (e.g. ex mutuo) in verborum obligationem transfusa remittitur *§. II. J. h. l. 18. §. 1 ff. d. acceptil.* §. 2. I. h. Ea *hodie* quoque necessaria non est, prope tamen ad illam accedit *die Gerichtl. Verzichtleistung.*

V. *Novatio* est Actus, quo prior *obligatio tollitur* & in novam *transfunditur*, *§. III. J. h. l. 1. ff. d. novat.* eaque dividitur in *delegationem* & *novationem* in specie sic dictam.

VI. *Delegatio* est, qua *debitor alium debitorem* volentem, & expromittentem, consentiente *Creditore*, in suum locum *surrogat.* *d. §. III. §. 3. I. h.*

(b) *Naturalis simul & Civilis ratio* suadet *alienam conditionem meliorem* quidem ignorantis & *inviti nos facere posse*, *deteriorem non posse.* *l. 39. ff. d. neg. gest.*

(c) *Acceptilatio est imaginaria solutio.* *§. 4. J. h.*

j. l. 11.

j. l. u. l. 17. ff. l. 1. l. 6. l. 7. C. d. novat. Jure civili in delegatione non opus est nominatim exprimi animum novandi. *a. §. III. F. b. j. l. 27. C. d. Testam.* Hanc declarationem animi novandi inter mercatores prætermitti patitur. *Dec. El. 66.* non vero generaliter. *d. Dec.* Cæterum *hodie* delegationem voluntate quomodocunque, etiam *pacto*, declarata fieri nihil prohibet.

VII. *Delegatio ita fieri nequit, ut delegetur servus.* §. III. *F. b. l. 32. ff. d. R. F. Pupillus tamen recte delegatur, scilicet ad effectum obligationis prioris tollende, non autem novæ in ejus persona constituendæ.* *d. §. III.*

VIII. *Novatio in specie est, qua, manente eodem debitore & creditore, alia obligatio, animo novandi expresso, constituitur.* §. III. *F. b. l. f. C. d. novat.* Hic animus novandi *Jure Saxon.* *El.* etiam præcise venit exprimendus. *Dec. El. 66.* quod si autem sub conditione novatio fiat, eadem, existente demum conditione, effectum fortitur. *d. §. III.*

IX. *Mutuus dissensus est, quo obligatio consensualis, intercedente contraria debitoris & creditoris voluntate, re integra vel in pristinum* §. 4. *I. h. statutum reducta, tollitur.* §. IV. *F. b. sufficit tamen unius etiam dissensus ad dissolutionem societatis. l. 14. ff. pro soc. §. 4. F. eod. (d) item mandati, hoc enim non tantum mandantis revocatione, sed etiam mandatarii renunciatione tollitur, juxta §. 9. u. F. mand.*

(d) *Obligaciones, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur.* §. 4. *F. b.* LIB.

dem a fure ejusque hærede repetit. l. 7. §. 2. ff. d. condict. furtiv. d. §. 19. Hodie hæc suum tum quoque præstat usum, quando fur laqueo punitus est. a. l. 7. §. 1. ff. d. cond. furt. l. un. C. quand. Act. Civil. Criminal. præjud. De Jure Sax. Elect. conf Dec. El. 86. it. Raub. Mand. d. A. 1719. §. Wir wollen.

TIT. II.

De Vi Bonorum raptorum.

Origo hujus actionis : & quid in eam veniat.

QUI vi res alienas rapit, tenetur quidem etiam Ex Fullan. l. 2. §. 10. d. vi bonor. rapt. §. 1. 14. §. 12. præ quod mes. furti: quis enim magis alienam rem invito domino contrectat, quam qui vi rapit? ideoque recte dictum est, eum improbum furem esse: sed tamen propriam actionem ejus delicti nomine prætor introduxit, quæ appellatur *Vi bonorum raptorum*: & est intra annum, quadrupli: post annum simpli. Quæ actio utilis est, etiam si quis unam rem, licet minimam, rapuerit. Quadruplum autem non totum pœna est, sicut in actione furti manifesti diximus, sed in quadruplo inest & rei persecutio: ut pœna tripli sit, sive comprehendatur raptor in ipso delicto sive non. Ridiculum enim esset, levioris conditionis esse eum, qui vi rapit, quam qui clam amoveret.

Adversus quos datur.

1. Ita tamen competit hæc actio, si dolo quis rapuerit. Qui aliquo errore ductus, rem suam esse existimans & imprudens juris, eo animo rapuerit, quasi domino liceat etiam per vim rem suam auferre a possessoribus; absolvi debet. Cui scilicet conveniens est, nec furti teneri eum, qui eodem hoc animo rapuit. Sed ne, dum talia excogitantur, inveniatur via, per quam raptores impune suam

Ff 2

exer-